



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 22. De triplici vegetante facultate, ad tex. com. 50.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

Tex. 41. Quoniam autem eadem anima facultas alitrix & procreatrix, de alimento necessarium definire primum. Separatur enim ab alijs facultatibus opere hoc.

Digestio XXI. De triplici vegetante facultate.

COMMENTARIUS L.

Vegetantis anime facultates ex ijs, quæ hæcenus dicta sunt, tres esse colliguntur; nutritrix, alitrix, genitrix: tresque illius operationes; nutrire, augere, gignere: Quas omnes esse ab anima atque ab hoc principio in viventibus exerceri; ex eo manifestum est, quod animam demonstravit in viventibus esse causam, tum formalem, tum finale, tum efficientem. Cosequens igitur erat de his facultatibus agere. Sed quoniam iuxta methodum antea propositam prius agendum est de illarum obiectis; primum incipit agere de alimento, tanquam de obiecto, circa quod versantur omnes; quoque à ceteris facultatibus distinguuntur. A sentiente inquam, appetente, mouente, & intelligente; quæ alia prioribus habent obiecta, de quibus post alimentum agetur.

*Alitrix
genitrix
vi eadem
facultas.*

Quod autem facultatem alentem & gignentem ait esse eandem; sunt qui intelligant eandem esse, sicut genus & species, animal & homo: quoniam genus cum specie distinctum non facit numerum. Hanc verò illi interpretationem habent, quod non alentem, sed vegetantem legant: cum tamen Græcè sit, *σπερματικὴ*. Ergo reliqui non genus vniuersum exponunt, sed nutrientem facultatem, cum qua intelligatur ea quoque, quæ auget. Sicut & in tex. 34. vtramque communi nomine appellauit, eam, quæ vitur alimento. Has verò facultates omnes eandem esse sine iudicauit Philoponus. Quoniam & nutritio & auctio ad procreationem similis referuntur; & ideo factæ sunt, vt obsequantur illi; estque æquum à fine omnia nominare. Verùm ego non hanc opinor fuisse Aristotelis mentem. Siquidem nutritio & auctio per se primò viventibus tribute sunt, vt suam conseruarent & perficerent vitam, vt quàm optimè iuxta suam naturam operari possent. Sed potius dixisse eandem facultatem esse, aut genere, quemadmodum S. Thomas exposuit. Quinque enim facultatum genera antea distinxit, vegetans, sentiens, appetens, mouens, intelligens; atque ad vegetans hæc omnes pertinent, nutriens, augens, & gignens. Aut obiecto, vt placuit Auerroi. Nam si facultates ex obiectis distinguuntur, vt antea definitum est; quæ idem obiectum habent, verè eadem facultas esse dicuntur. Omnes autem circa alimentum versantur; & ideo agendum de alimento tanquam communi omnium obiecto. Quoniam tamen alia atque alia ratione circa illud versantur singule; nutriens, vt est substantia ad reficiendum & conseruandum apta; augens, vt est quantum ad augendum illius corpus & singulas partes opportunum, gignens demum, vt est indiuiduo illi superfluum atque ad aliud sibi simile procreandum vtile. Idcirco sub eodem vegetantis genere tres hæc facultates specie distinctæ continentur: quæ idem materialiter habent obiectum, forma & considerandi modo diuersum. Idcirco eas dixit Philosophus eandem facultatem esse, non simpliciter, sed quoquo modo; hoc est aut genere, aut obiecto materiali & remoto.

Tres esse vegetantis anime facultates, alitricem, auatricem, & procreatricem, & constituit Philosophus, & manifesta ratio concludit. Cum enim calor & aliarum externarum causarum actione continenter consumatur illud humidum, quo viuacitatem vita debuit sustentari, necessarium fuit eorum conseruationi prouideri subsidio facultatis conseruatiuæ, qua restaurare possent atque in seipsis repone-
Bre id, quod ab alijs causis fuisset absumptum. Et quoniam nihil subito ad perfectum ad ducta natura, quin potius ab imperfecto ad perfectum paulatim progreditur, viuacitas, quæ cum primùm prodeunt in lucem imperfecta sunt omnia, tum propter seminis paucitatem & materiam, ex qua fuerunt genita, tum propter angustias loci, in quo formatur & ideo incepta prioribus sunt ad eas functiones obiectas, quæ sunt eorum naturæ propriæ: opus omnino habuerunt alia virtute, qua ad eum statum & conditionem traducerentur, in qua operationibus omnibus quàm absolutissime fungerentur, membris omnibus factis grandioribus atque ad operandum magis accommodatis. Denique quoniam vniuersum hoc viventium genus, quod lineæ ambitu continetur, dum subsistit in singulis, eadum est & mortale, neque possunt eadem numero viuacitas perpetuò conseruari, tertia fuit addenda virtus, qua mortalitas hæc & caducitas indiuiduorum, propagatione vniuersi indiuidui similis ab alio ita compensaretur, vt si non idem indiuiduum, eadem certe speciei natura conseruaretur.

His porro tribus virtutibus satis fuit omni ex parte, tum incolumitati indiuidui & opportune ad operandum magnitudini, tum speciei conseruationi prouisum. Nutricis finis est esse simpliciter, auctricis esse cum iusta magnitudine, genitricis esse perpetuum. Quoniam cum hæc anima ad vitam & viuacitatem esse referatur tota; hoc aut gigni debet ab alio, aut genitum conseruari & perfici. Dicam veritas: hoc esse aut perfici debet, aut conseruari: hæcque conseruatio tum in indiuiduo esse debet quoad fieri potuit, tum in specie. Perficitur virtute auatrice, conseruatur in indiuiduo facultate alitricis, ac demum in specie facultate genitricis.

Itaque tria distinguentium genera. Primum illud omnium perfectissimum, quod & immortale est, & penitus inmutabile, tam intrinsecè, quàm extrinsecè. In eo neque alio inest, neque accedit; sola vigeat generatio facultatibusque gignendi: non ex defectu & indigentia, vt species scilicet conseruatur; sed ex sola naturæ fecunditate, qua seipsum alteri communicare potest. Hoc ens est solus Deus. In cuius generatione etsi diuersitas suppositorum reperitur, identitas tamen est naturæ. Quia re à ceteris omnibus procreationibus magnopere diuina hæc generatio distinguitur. Quod cum alia omnia gignendo communicent suam naturam diuerso indiuiduo aut supposito; maiorem, quàm speciei, nunquam identitatem assequuntur. Solus Deus eandem numero naturam diuerso largitur supposito, estque perfectissima generatio & abique mutatione vlla.

Alterum

*In intelli-
genti
cau
nata.*

Alterum genus entis est, quod est aliqua extrinsecè mutationem suscipiat, intrinsecè tamen penitus est immutabile & immortale. Quare nec nutritione indiget, nec accretione, neque alterius sibi similis procreatione. Et quoniam ens est finitum & limitatum; eam non habet naturæ fecunditatem, quam Deus: nec vilo modo potest seipsum alteri supposito communicare, simile sibi gignendo. Hæc intelligentiarum conditio est & cælorum, quæ nullo modo alteri se communicant; nisi fortasse homonymè, dum tanquam causæ vniuersales ad inferiorum rerum procreationem concurrunt.

*In vni-
uersis
sub
lunari-
bus
omni-
bus.*

Tertium ac postremum est entis mutabilis & caduci, quodque non statim à principio omnem suæ naturæ perfectionem habet. Et idè omnibus illis, quas commemoravi, facultatibus subleuatur, vt ex singulari naturæ prouidentia imperfectionem & caducitatem conditionis suæ quoquo modo compenset. Hæ sunt res sublunares, in quibus eæ præsertim, quæ viuunt, tribus illis facultatibus perfectissimè vtuntur; non viuentes quoquo modo. Ignem enim constat sibi simile gignere, nutrire, & augeri, vt in textu 41. & in posteriore libro de ortu & interitu textu 50. confirmat Philosophus. Lapides item nutrire videntur & augeri; etsi non generent, complura sunt viuientia, quæ sibi simile procreare non possunt, vt plantæ per multa quæ carent semine, & animalia nonnulla. Quam ob causam non desuerunt, qui eodem profus modo & inanimata & animata nutrire dicunt & augeri. Sed verissimè scriptum est in text. 37. nihil augeri, nisi alatur; nihilque ali, quod vitam non participet. Immo in textu 50. paulò ante citato, cum hoc videret Aristoteles, laborauit non parum, vt modum exponeret, quo ignis inter inanima omnia nutrire dicitur.

Marfilius igitur in priorem librum de ortu & interitu questione 11. inanima nutrire dixit & augeri appositione, quemadmodum & partes animalium porosas. Sed partes hæc intra seipsas nutrimentum suscipere, inanimata nequaquam. Verùm appositio intus susceptio localem motum significant, esseque videntur extrinsecè & accidentariæ, dum in nutritione aut accretione considerantur. Nec desunt lapides foraminibus & cauernulis pleni, quibus alimentum vbique suscipiatur.

*Præ-
terea
lib.
de accre-
tione.*

Alij triplex omnino posuerunt discrimen: primum, quod in viuientibus eadem semper anima perseveret, in cæteris noua gignatur forma. Deinde, quod nutritio viuientium ad heterogeneas partes terminetur, cæterorum ad homogeneas. Denique quod, vt est in textu 41. ad certam & constitutam magnitudinem augeantur viuientia; reliqua materia additione fieri semper maiora possint. At primum, quod affirmatur, est perquam falsum. Si enim animam nostram excipias; reliquæ materiales sunt & partibiles, nouaque accedente materia de nouo subinde gignuntur; non minus, quam non viuientium formæ. Alterum ex accidente videtur esse. Nam si veram nutritionis formam consideres; parum refert, an homogeneæ, an heterogeneæ partes nutriantur. Quin etiam in viuētibus quoque homogeneæ primum nutriuntur, deinde quæ ex illis componuntur heterogeneæ. Tertium accomodatè magis dicitur; sed ex principio pender, a

A quo fit accretio. Hoc in viuientibus est anima calore vtens. Ea enim corporis membra & organa omnia determinatè cuiusdam magnitudinis postulat, vt operari possit. Calorque agendo ita debilitatur & frangitur, vt eandem alimenti quantitatem suppeditare semper nequeat. At non viuientium formæ alijs opus non habent organis, quam qualitari- bus; possuntque sub quavis quantitate consistere: & qualitates, quibus agunt, etsi dum agunt repantur; si tamen victoriam reportent, potentiores tandem euadunt.

His adde viuientium nutritionem & accretionem quatuor omnino causis à non viuientium nutritione atque accretione differre. Nam si formam consideres, viuientia per omnes partes & vndeque nutriuntur & augentur: non viuientia in eaduntaxat, cui externa additur materia. Sin materiam quæras, inanimata augentur solum ratione materiæ, quæ antecedenti non corrupte apponitur, vt in lapidibus videre est, alijsque omnibus; præter ignem, qui dum sua leuitate ac tenuitate supra petit loca, continenter euascent. Animata non dicuntur augeri ratione materiæ, quoniam hæc accedit & recedit; sed magis formæ, quæ eadem semper est & perfectiùs, quam antea, operatur. Efficiens porro causa in viuientibus sola est anima per calorem, in non viuientibus naturalis formæ per singulorum proprias qualitates. Sed in his ab aliquo alio apponi materiam oportet; anima nullo indiget. Trahit enim alimentum ipsa, retinet, coquit, in omnes tribuit corporis partes, atque in membrorum naturam commutat. Postremò in animatorum finis in omni operatione est sibi simile procreare; vt videre est in igne, qui nunquam idem permanet; sed alius semper est & alius; tamen si propter materiæ contiguitatem idem esse videatur. Quod in 2. Meteororum libro cap. 2. confirmat Philosophus; ignem quoque propriè nutrire negans, quod idem nunquam permaneat. Immo si qua esset separata materia, & in eam ageret ignis, commutaret illam perinde ac si esset sibi coniuncta. Nec tamen hæc appellari nutritio possit, sed solum generatio. Atque fruuntur vita, volunt se ipsa quoque singula conseruare & perficere; eamque ob causam & alimentum intus suscipiunt & sibi adiungunt; nec nutrimentum à se diuisum, sed quod cum illis coniunctum sit, in substantiam ipsam commutant.

*Procreatio
viuientium
qualis.*

Cæterum quoniam ex omnibus illis actionibus, quæ viuientium propriæ esse creduntur, procreatio potissimum inanimatis item inesse videtur, eam quoque sciendum est plurimum à viuientium generatione differre. Primum vel ipsa appellatione. Namque inanimata fieri dicuntur, produci, gigni; nasci propriè non dicuntur. Viuientia nascuntur propriè, eorumque procreatio natiuitas nominatur. Deinde tempore. Inanimata enim tempore quouis gignantur, animata non nisi certo quodam & constituto. Tum verò loco. Nam illorum procreatio fieri vbique potest; hæc non nisi in aliquo tanquam conseruante vase ad id præparato nascuntur, animalia in vulua, plantæ in terra. Præterea modo quoque generationis. Quoniam animata, dum aliud generant, conserunt aliquid ad generationem ex sua substantia (semen, sanguinem, ouum) quod remaneat in genito,

Inanimata nihil tui largiuntur, sed qualitatibus, quæ agendi vim habent, in externam operantur materiam. Et id eò maior multò in illis, quàm in his, seruiatur vnitas. Denique in animalium generatione non solum animali gignens generationi materiam subministrat; sed accretioni quoque & perfectioni ylique ad quendam tetminus. In vulua enim tum nutritur fœtus, tum augetur ex materia, quam sup-peditat mater. Et in illis quoque, quæ nascuntur ex suo, ita rem habere reperies in tertio libro de animalium ortu cap. primo & secundo ex albumine namque procreantur, ex vitello nutriuntur & cres-cunt.

Neque verò propterea existimandum est geni-tricem hanc facultatem non esse vegetantis animæ propriam, quòd animata omnia sibi simile hoc mo-do non gignant. Non enim propterea illius prop-ria existimatur, quòd illam semper & necessariò comiteretur, cum ijs saltem instrumentis, quæ ad eum vsum fuerunt à natura preparata. Sed eam potius ob causam, quòd in omnibus, in quibus viget, hu-iusce animæ beneficio vigeat. Nam etsi animalia quoque, quæ sentientem animam habent, facultate hac & operatione polleant: id eò tamen pollent, quòd in hac anima vegetantis perfectio contineat-ur. Quibusdam viuentibus non dedit hanc facultate naturam, necessarijs saltem instrumentis instru-ctam: quòd alio modo procreari facile possent; siue ex putredine, siue diuersarum specierum permistio-ne in animalibus; siue abscisso, & transplato ramo in plantis.

Quæ hæcenus dicta sunt, eò tandem spectant, vt cum tria entium genera initio distincta fuerint; ostenderetur, quomodo tertium illud genus tribus hisce instructum facultatibus & operationibus, a- lente, augente, & procreante, viuentibus maximè conueniret, cæteris quoquo modo: quàm quæ me-ritò facultates hæc vegetantis animæ propriæ dice-rentur: quarum duæ viuenti per se considera-to conuenirent, tertia bonum & conseruationem speciei quæreret: & id eò duæ illæ magis in trinfeca sunt, & cuiq; necessaria; tertia hæc nõ item.

Hinc etiam intelligitur, quæ sit causa, cur inter huius animæ facultates augentem numeremus, mi-nuentem non item. Anima etenim vegetans per se primum ad conseruandum & perficiendum com-parata est; & omnino ad ea, quæ ad vitam eiusque functiones pertinent. Hæc sunt nutritio, accretio, procreatio. Decretio ad interitum potius & rui-nam tendit, vitæque operationes omnes mutilat ac prorsus impedit; vt in lenibus manifestum est. De- inde ad hoc non fuit opus propria vlla facultate, sed satis erat nutrientem & augentem virtutem debili-tari & frangi. Adde comparatione accretionis de-cretionem esse veluti priuationem, aut quidpiam certè minus præcipuum; atque sub potiore virtute comprehendi, cum commune nomen non adit, vt Aristoteles loquebatur in tex. 6. lib. 3. Phyl. & tex. 18. libri 5.

Cur autem hæc operationes appellentur natura-les, quamuis operationes animæ sint; hanc in Epi-tome Metaphysica, tractatu prim, o capite vltimo insintrauit caulam Auertroës; quòd anima, cuius o-perationes existunt, omnium simplicissima tota-que penè homogenea sit; atque in singulis corpo-ris partibus, quemadmodum natura, suas omnes

functiones habeat. Ita enim ferè in plantis habe-re cernimus. Anima verò hoc differte à natura videtur, quòd vt multiplicem habeat operationem, sic magnam præfert organorum distinctionem atque in singulis alias atque alias prorsus opera-tiones. Eam etiam habet causam Thurisæus Com-mentar. 12. in secundum artis partæ librum; o-perationes hæcæ, præfertim nutritionem & accretio-nem, naturales appellari, quòd insitæ atque inna-tæ in ipsis membris videantur; non influxæ, quem-admodum sensus, pulsus, & motus; qui ex influxa potissimum complexione pendent. Crediderim potius ego naturales nominari; tum quòd entium merè naturalium operationibus perfimiles sit, & cum illis quasi communes: siquidem ea quoque & nutrir quoquo modo videntur, & augeri, & pro-creare: tum quòd in viuentibus quoque per intru-menta merè naturalia, hoc est per calorem perfici-untur; sicut in igne. Tum demum quòd necessa-riò & ad modum naturæ, non cum magna libertate, fiunt; animaque ipsa vegetans forma naturalis ap-pellari solet.

Iam verò si earum ordinem consideres; etsi ge-neratione prius sit viuens procreari, quàm nutri-ri aut augeri: quoniam tamen accipere omnes in eodem viuente oportet, quòd & nutrire, & augere se ipsum, & aliud sibi simile procreare potest: primam omnium facimus facultatem eam; quæ nutrit: quòd prima huius animæ operatio sit nutri-re & tueri seipsum. Hanc accretio sequitur, quia ex alimento sumpto augere debet & perficere vi-uens, in quo ipsa est. Postrema accedit alterius sibi similis procreatio. Tum quia hæc ex parte alimen-ti superflua & residua perficitur. Tum quia perfe-cti & robusti iam viuents operatio est, vt diximus in textu 34. Tum quia, vt est in textu 49, qualite-ri liquidarum finis est, vt eius subsidio perpetuam illam, quam tantopere optat, consequatur na-tura.

Itaque si perfectionis ratio habeatur, secus om-nino iudicandum erit. Omniumque præstabillissi-ma erit genitrix. Tum quia perfectorum & non mutilatorum propria, cum relique in imperfecta potissimum ætate vigeant. Tum quia omnium vltima operatur, aliisque omnes supponit. Immo Philoponus interpretationem faciens textu 19, & 42. propter eam tanquam finem, & nutrientem, & augentem tributas fuisse credidit. Ea etiam ex-tra se operatur. Quæ in re tum ad sentientem ani-mam; quæ circa res exteriores agit, perfectionem accedit: tum Dei æternitatem æmulatur, dum na-turam & speciem facit perpetuam. Denique illius operatio, communicare seipsum & diffundere, tot-umque viuens simpliciter procreare, operatio præ-stantissima est; quæ ex illis omnibus in Deo sola re-peritur.

De nutriente & augente constitunt multi, & inter eos S. Thomas in expositione textus 49. me-liorem augentem esse; quòd posterior sit, & ad per-fectum adducat statum, robustiorque calore indi-geat. Philoponus quoque inter Græcos non dubi-tauit affirmare propter accretionem fuisse plantis vim nutriendi datam. Verùm hæc, quæ ad illius fa-cultatis præstantiam ostendendam adferuntur, ex-trinseca sunt. Etsi vim & naturam virtusque in-timam consideres; præstabiliorem multò ani-maduertentes

*Minuens
cur inter
faculta-
tes non
numere-
tur.*

*Carnd-
turales
dicantur.*

maueres eam esse, quæ nutrit. Nam si operatio-
nem vtriusque contempleris, vt motus quidam aut
mutationes diuersæ sunt; cum naturam suam acci-
piat motus à termino, sanè eò nobiliorem nutritio-
nem accretione esse intelliges, quò magis substan-
tia quantitati præstat. Deinde si quatenus faculta-
tes quædam sunt, operationes earum intuearis,
altrix operatio est absumpta substantiæ reparatio,
quæ generatio quædam est atque ad singulorum
conservationem refertur; quemadmodum vniuer-
sæ naturæ conservationem procurat procreatio;
Accretio solam habet maioris quantitatis acquisitio-
nem. Tum verò si obiectum quæras; vtriusque
obiectum est alimentum: sed altricis vt est substan-
tia, procreatricis vt quantum, vt est in tex. 47. Quare
si ex operationibus & obiectis de facultatum natu-
ra iudicandum est; nobiliorem multò ac digniorem
altricem facultatem esse concludes. Illud etiam non
parum habet momenti, quòd hæc facultas tam
præclaram & efficacem habet operationem, vt alte-
rius quoque facultatis obiectum simul acquirat.
Dum enim substantiam comparat, qua viuens natu-
ra conferuetur, cum ea quantitatem quoque addu-
cit, qua augetur. Procreationis sanè materiã quoque
lucatur: at remotè; postque nutritionem omnem
perfectam opus est mutetur in semen, & nouam gi-
gnendi atque formandi fortis virtutem accipiat. Et
hæc quidem de harum facultatum perfectione ego
sentio.

Quòd si quid illis commune sit, quid proprium,
queratur: communem omnes habent originem,
idemque principium: cum ab eadem omnes orian-
tur anima. Communem obiectum; quod nutri-
mentum esse dixit Philosophus tex. 47. Commu-
ne subiectum, saltem remotum; totum scilicet
coniunctum, dum suam habent solitariam natu-
ram. In homine verò antea dictum est, quomodo
saltem organice facultates appellentur. Denique com-
muni omnes vtuntur instrumento, naturali calore.

At non parùm distinguuntur: tum obiecto for-
mali. Nam alimentum est altricis obiectum vt sub-
stantia auctricis vt quantum; genitricis vt super-
fluum. Tum fine. Quoniam genitrix speciei con-
seruationem spectat, relique conservationem &
perfectionem singulorum. Tum proprijs earum
operationibus; quæ sunt absumptam substantiam
reponere, facere maius, sibi simile procreare. Tum
subiecto. Quòd altrix, & auctrix per totum corpus
fusa sunt, atque in omnibus partibus operantur: ge-
nitrix in animalibus vnam habet determinatam
partem, testes aut etiam spermatica vasa. Tum in-
strumento. Quia earum vna maiore ac rebemen-
tiore, quàm alia, calore indiget. Tum demum
tempore. Nam auctrix & genitrix determinatum ha-
bent & constitutum tempus, altrix per totam vitam
operatur. Semper enim necesse est restaurari sub-
stantiam, quæ continenter absumitur, & vt est in
tex. 14. & 47. tandiu viuentia viuunt, quandiu
aluntur. Accretio, quæ conuenientem duntaxat at-
que ad operandum opportunam quantitatem querit
vbi hæc fuerit acquisita, finem habet; ne nimia cor-
poris moles excreseat, quæ omnem potius opera-
tionem impediatur. Generatio autem perfectum vi-
uens naturamque potentem ac robustam postulat.
Quam ob causam neq. in prima, neque in postre-
ma, sed in media ætate viget. Deinde debilitat ni-
uium & frangit vires; obfuisseque plurimum, si

A omni tempore generare viuentia potuissent. Immo
eo ipso tempore, quo apta est operari, propterea li-
cet absque vllò scelere ab illius officio temperare;
à nutritione & accretione non licet. Conseruare
enim seipsum est cuique maximè naturale hocque
impedito interitum sequi necesse est. At species, si
ab vno indiuiduo non conseruetur, conseruabitur
ab alio: hæc operatio; dum incolumitatem spe-
ciei procurat, indiuidui vite plurimum obest.

Maiorem habet descriptionem; num ex inter-
se differant re, an forma duntaxat. Facilius erit ex-
plicatio, si facultates ab anima re distingui negentur.
Quoniam si ita esset, ne inter se ipsas quidem re dif-
ferrent: quod aperte voluit Simplicius in com. tex.
9. lib. 1. sed aut forma, aut sola mentis nostre actio-
ne. Facultates enim altrix & genitrix circa substan-
tiæ generationem versantur: neque alitio quid-
quam est aliud, quam partialis quædam generatio.
Altrix autem & auctrix secundum magis & minus
differre videntur. Ambeque circa substantiam
quantam ita occupantur, vt si substantiæ tan-
tumdem reponatur, appelletur alitio; si plus aut
minus, accretio vel decretio. Sunt tamen alio-
rum & genitricem re distinguant, altricem & au-
ctricem sola ratione.

Ego non forma modò, sed re quoque genitricem
iudicio à ceteris distinguendam esse ab illis omni-
bus, qui facultates velint re ab anima separari. Hoc
enim non solum testantur operationes, & operandi
modi, tempus operandi, effectus producti, & obie-
cta tantopere diuersa: sed distincta quoque subie-
cta ostendunt. Nam cum duæ relique facultates
per omnia membra diffusæ sint, genitrix certam ha-
bet in vnica corporis partem, saltem in animalibus,
sedem.

De altrice & auctrice posset sane pro vtra-
que parte probabiliter disputari. Quia vt substan-
tia & quantitas distinguuntur re; sic affirmari posset
duas esse re distinctas facultates, quæ circa illas oc-
cupentur. Probabilius tamen iudico, vnicam esse
re, duas forma. Quòd vnica re facultate sit satis, ne-
cessaria facit coniunctio inter substantiam & quan-
tatem. Neque enim sine quantitate vnquam ac-
quiritur substantia: eademque facultas vtramque
viuenti comparat: & si plus addatur substantiæ &
quantitatis, quàm fuisset consumptum, augetur
viuens; si minus, decrescit; si æquale, nutritur in eo-
dem consistens statu. Nam & toto vite tempore
aliqua semper & nutritio & accretio aut decretio
efficitur. Quoniam et si vera illa propria accretio &
decretio, quæ dimensionibus omnibus constat,
tempus habeat constitutum, nec in tota vigeat vi-
ta; omni tamen tempore potest viuens alimentum
sumere absumpta substantiæ æquale, in eademque
magnitudine conseruari: potest sumere maius, &
ita pinguescet, latitudinèque saltem augebitur: po-
test sumere minus, macrescetque, extenuabitur,
atque dimensione euadet minus. Eandem rerum
identitatem ostendunt eadem vtriusque facultatis
loca. Ambæ namque per omnia membra diffusæ
sunt; & vbi cumque operatur earum vna, opera-
tur & altera. Certè Philosophus dum in tex. 34.
duo solum vegetantis animæ opera numerarit,
gignere, & alimento & tex. 43. lib. 3. accretionis
& decretionis causam esse genitricem ac nutriticem
animam; duas visus est præcipuas facultates
significare, reque eandem esse & vnam que

circā alimentum verferur vt est substantia, & vt quantitatem habet. Neque vllus est, qui decretionem affirmet à facultate proficisci re distincta ab ea, quæ auget. At si eadem facultas re facere maius potest & minus; quidni æquale possit? Verùm quamdiu vitentia magnitudinem eandem teneatur, solam dicimus alticem facultatem operari, quæ substantiam æqualem apponit: illo igitur quoque tempore, quo augentur & minuuntur, eandem re affirmare licet facultatem esse; quæ cum maiore aut minore calore plus aut minus substantiæ importet.

Facultas hæc, quæ has omnes operationes exequitur, si commune nomen habere possit, restauratrix facultas appelletur. Totam enim in eo, quod absumptum fuerat, restaurando laborat: & interdum plus, interdum æquale, interdum minus, restituit: vt calor, quo ea vitur agendo, vehementior fuerit, aut debilior. Porro hæc restauratio non substantiæ modo, sed & quantitatis est. Tum quia sine quantitate acquiri substantia non potest. Tum quia vt substantia, sic quantitas quoque subtracta fuerat; & vtraque opus habet restauratione. Dicimus tamen nutritione restaurari potius substantiam, quam quantitatem. Tum quia substantia per se primùm & consumitur & restauratur: quantitas secundariò & consumptione restaurationeque substantiæ. Tum quia propria nutritionis operatio est restaurare substantiam, eiusque finis, indiuidui conseruatio; quæ ex substantia potissimùm pendet. Tum quia nutritio formaliter in mutatione versatur alimenti in naturam viuentis, quæ substantiæ mutatio est. Tum demum quia consumptio, & acquisitio substantiæ manifestior est, quam consumptio acquisitione quantitatis: si quidem illæ fiunt per se, hæc ex accidente, naturalique ac necessaria consequtione.

Postremò vtraque hæc facultas idem re habet obiectum alimentum, solaque distinguitur forma: dum vt est substantia nutrit: vt est quantum, auget. Propterea vbiicumque Philosophus species motus distinxit, separauit semper motum ad quantitatem ab ea mutatione, quæ est ad substantiam: accretionemque & decretionem specie numerauit à generatione diuersam. Vt inde etiam manifestum esse possit, auctricem facultatem forma saltem & specie distinguendam esse ab altrice: præsertim quòd altera toto vitæ tempore operatur, altera certum habet & præscriptum tempus. Vna plus caloris postulat quam altera. Ac demum diuersos habent fines propósitos, diuersas definitiones, distinctas operationes, & distincta formaliter obiecta.

TEXTVS.

Δικεί δ' ἔστι τῶν, τὸ ὀδύνην καὶ ἀσθενίαν. οὐ γὰρ ἡ παρὰ
 αὐτῶν ἔστι ἀσθενία καὶ ὀδύνη, ἀλλὰ τῶν ἐκ τῶν ἀσθενῶν ἐστὶν ὀδύνη,
 ἡ δ' ἀσθενία γίνεται ὅταν πολλὰ ἐξ ἀσθενῶν, ἢ ἢ πάντα ποσά. ἢ
 ὀδύνη δὲ καμωμένη. φαίνεται δ' οὐδὲ ὀδύνη τῶν αὐτῶν ἔσθιν
 ἀσθενῶν ἔστι τῶν, ἀλλὰ τῶν πλεονάζοντων τῶν ὀδύνην, τῶν δὲ πύρ
 ἐν τῶν ὀδύνην. ἢ ἢ ὀδύνην τῶν ἀσθενῶν σωμασὶ τῶν ἔστι δὲ δικεί
 μάλλον, τῶν δὲ τῶν ὀδύνην τῶν τῶν ὀδύνην.

A Videtur autem esse alimentum contrarium contrario: non omne autem omni: sed quæcumque contrarium non solum generationem habent ex se inueniunt, sed & auctorem. Gignuntur enim multa ex se inueniunt, sed non omnia quanta, vt sanum ex ægrotaente. Videtur autem neque illa vicissim alimentum esse: sed igni quidem alimentum aqua, ignis autem non alit aquam. In simplicibus igitur corporibus hæc esse videntur maxime, hoc quidem alimentum, illud autem quod alitur.

COMMENTARIUS LI.

A Cetus igitur de alimento, quoniam manifestum erat, non ex quolibet nutriti viuentia & sustentari, sicut neque ex quolibet, sic quodlibet, vt in naturalibus dictum est: ab alimenti vniuersè sumpti conditionibus principium facit: vt intelligat, quale illud esse oporteat. Præsertim cum de hoc quoque aliqua esset inter antiquos Philosophos concertatio: afferentibus quibusdam alimentum debere esse dissimile & contrarium alito: alijs verò debere esse simile.

C Tres igitur condiciones ponit. Prima est, vt quo modo modo viuenti, quod ex eo nutriti debet, contrarium sit: in principio scilicet nutritionis, & antequam coctum sit. Nam vt viuens nutritur, alimentum necesse est in illius substantiam mutari: & vt mutetur, inter illa esse actionem & passionem; hæcque non nisi inter contraria fit. Absoluta tamen contrarietas non est. Tum quòd alimentum non longè à viuentis corporis natura distare oportet, vt facilius in eam mutetur. Tum quòd nec alimentum, nec viuentis corpus, summè calida sunt aut frigida, humida aut sicca. Ergo quali media quoquo modo temperata minimeque viuentia contraria sunt. Neque audientius est Simplicius, dum non veram contrarietatem; sed priuam oppositionem, qua alimentum aliti caret forma, propterea interpretatur, quòd substantiæ substantia propriè non sit contraria. Non enim substantiæ, sed qualitatibus ac temperamenti contrarietatem Philosophus voluit, quæ alterationem, immutationem, & omnino nutritionem adferret.

E Altera, vt non solum sit contrarium, sed & eiusmodi, vt sui mutatione auget id, in quod mutatur. Multa enim ex sese inuicem fiunt & vicissim mutantur: vt sanum ex ægrotaente, & ægrotaens ex sano; album ex nigro, nigrumque ex albo; nec tamen ex vno augetur alterum. Quibus verbis, vt interpretatur Auerroes, significare voluit, alimentum substantiam esse debere. Substantia enim est, que ita nutrit, vt simul etiam quantitate augeat, quam secum semper adducit. Accidentia autem omnia, quæ contrarietatem habent, mutationem quidem vnius in alterum habent, sed nutritionem & accretionem non habent. Præter quam quòd vbi materia non est, nequit esse mutatio: & nisi alimentum materiam habeat, quæ potestate sit ad viuentis formam, in illius substantiam mutari omnino non poterit: Quod si materiam habeat, substantia erit.

Arnon

nutritur circa nutrimentum agit. Non patitur autem A
alium ab alimento, quia non mutatur. Sicut res patitur
à fabro, dum ab eo alijs atq. alijs modis mutatur, vt
ex eo quodpiam opus ex arte faciat: non item pati-
tur faber aut mutatur ab aere. Nisi ea intelligatur
mutatio, qua ex non operante fit operans, & ex
potestate in actum, atque ex otio ad negotium
transit. Verum dum ita mutatur, non patitur ab aere;
sed ipsemet ex electione incipit operari, cum an-
tea esset otiosus: qua mutatio perficiens est.

Et idem Philoponus hoc exemplo significari dixit,
in nutritione alimenti quidem mutationem fieri,
sed quamuis alteretur & corrumpatur alimentum,
perficientem tamen mutationem esse; quoniam
ad perfectiorem viuentem formam mutatur. Et
Simplicius mutationem esse dixit, non per passio-
nem, sed per actionem: qua nullo forinsecus im-
pellente, sed seipsa excitatur anima ad agendum.
Atque hoc est, quod loquebantur Platonicus, ani-
mam mouere seipsam; ex otio scilicet ad opera-
tionem se excitando.

*Num
alium ab
alimento
patitur.*

Illud maiorem videtur habere difficultatem,
quod additur; alium ab alimento non pati. Et-
enim contraria eam vim habent, qua vicissim
agant & patiuntur: omnéque agens, quod com-
munem habet cum patiente materiam, agendo
patitur. Itaque dum viuens agit in alimentum sibi
contrarium, ab eo vicissim patitur necesse est.
Ita sanè res habet; & in tex. 33. prioris libri de ortu
& interitu facitur idem Philosophus cibum in-
quiens & pati & agere. Eamque ob causam na-
turus calor in viuentibus debilitatur subinde ac mi-
nuitur: neque potest tam copiose & largè post ali-
quor annos nutrire. Ac primum quidem accretio
cessat, tum decretio quoque & mors subsequun-
tur. Præsertim vero frangitur calor & hebetatur
durioribus ac frigidioribus cibis, & quibusdam
largius sumptis prorsus obruitur. Id tamen solum
quod alitur, dicitur agere, non alimentum. Tum
quia id, quod alitur, rationem habet formæ,
alimentum materia: actioque est formæ, passio
materia. Tum quia quod nutritur, permanet
idem secundum formam, alimentum mutatur:
illud patitur quidem quo ad mutationem aliquam, at
non quo ad mutatum esse; quia ad naturam suam at-
rinet: hoc esse etiam quo ad mutatum esse, dum in
illius naturam mutatur. Tum etiam quia aliti
actio est euidens & cum victoria; qua tandem su-
peratur alimentum & ad illius naturam trahitur.
Tum demum quia etsi ratione qualitatum mutua
fit actio & passio, ratione tamen substantiæ, in qua
uis actione nutritionis consistit, alimentum patitur
& mutatur à viuente, non viuens ab alimento; at-
que ita ex alimenti substantia viuentis substantia
reparatur.

Quo circa actionis nomine assimilationem hoc
loco intelligas. Agit inquam viuens in alimentum,
non alimentum in viuens; quoniam alimentum vi-
uenti assimilatur atque in illud mutatur; non con-
trà: neque in illud agere dicitur, actione illa, quæ est
cum victoria: alioqui actione quævis alibi cibum
dixit & pati & agere.

*Digestio XXIII. De Na-
turali actione.*

Quæ in his Philosophus de nutritione dixit,
alibi vniuersè magis de actione omni disputauit:
paucaque illius verba longioris nobis orationis oc-
casionem præbent. Ea duo habebit capita alterum
de actionis obiecto alterum de illius conditionibus
& modo. Nam & quæsiuit Philosophus, num
simile agat in simile: & occasionem querendi de-
dit, an omne, quod agit, agendo patiatur.

Ergo is in prioribus libro de ortu & interitu à tex.
46. & deinceps, duabus reiectis antiquorum sen-
tentijs; quorum aliqui nullam dixerant inter similia
versari actionem posse: alij non nisi inter hæc eam
esse contenderant: medium inter extrema sequu-
tus, & neque inter omnino simile esse constituit,
quoniam idem ageret & pareretur: neque inter
penitus dissimilia; quia hæc se se mutuo non expel-
lunt. Sed solum inter contraria; quæ specie dis-
similia, genere similia sunt. Etenim actio & pas-
sio hoc nomine distingui videntur; quod cum
passio sit formalis ratio, qua forma quæpiam susci-
piatur in aliquo, qua formaliter nominat patientem
ad rationem item eius formalem pertinet, vt in
patientem sit velut in subiecto; neque patiatur
quidpiam passione, quæ sit in alio. At actio, cum
sit potius formalis ratio, qua exit quidpiam ab ali-
quo (formam enim significat vt ab agente proficiat
eius) non postulat intrinsecè, vt sit in agente;
sed vt exeat ab eo. Immo transientes omnes actio-
nes propterea hoc appellantur nomina, quod in
alio suscipiantur ab agente distincto. Planè que ac-
cidentarium est, vt immanentes aliquæ actiones
hanc ob causam dictæ in ipso sint agente, à quo
deriuantur. Quoniam ne hæc quidem in eo sunt, vt
agens est; sed vt patientis quoque vim & ratio-
nem subit. Quò fit, vt idem sit passiois subie-
ctum, cui inhaereat; & obiectum, circa quod
versetur. In actione autem hæc distingui debent:
quamuis in transiente reperiantur in eodem, in
immanente in diuersis. Quippe subiectum est
ipsum agens & obiectum extrinsecum quidpiam;
vt in locali motu sensuumque operationibus peri-
picuum est. Actio enim transiens circa obiectum
aliquod transmutandum versatur: & ideo obie-
ctum oportet etiam esse subiectum. Immanens
non obiecti sui transmutationem, sed agentis per-
fectionem significat: & ideo subiectum habet ab
obiecto diuersum. Cum igitur in actionibus pluri-
mis constet hæc tria distingui, agens, subiectum,
& obiectum actionis: in permixtis etiam agens
& subiectum esse idem, obiectum distingui: super
est videre, num possint interdum hæc tria coinci-
dere; sitque aliquid, quod non modo actionem
suam suscipiat, sed eius etiam obiectum sit, agat-
que in seipsum vt actionis suæ obiectum.

Scotus in 1. sent. distin. 3. q. 7. & in 2. distin. 1. q.
10. fieri posse dixit, neque ipsa fieri in homonymo-
rum agentium actionibus; vt in intellectione, vo-
litione, lenium & grauium motu. Alij hæc ita esse
confirmit: & in corruptente quidem actione
haud posse quidquam directè agere in seipsum,
posse tamen actione reflexa, quæ ex anticipati
occurrit.